Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1677 mense Julio.

~~Poezya 2968.~~

Krausowic Bartholomaei: Dactyliotheca laureati honoris coronandae pretiosis monilibus virtuti et eruditioni VV. DD. XXXII ornandae laureae Candidatorum — reservata.

# DACTYLIOTHECA
## *LAVREATI HONORIS,*
Coronandæ pretiosis moni ibus,
VIRTVTI ET ERVDITIONI,
VV. DD. XXXII. SECVNDÆ LAVREÆ
CANDIDATORVM,
*DVM*
SVB EXIMIA PROTECTIONE,
*ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI,*

## D. ANDREÆ
## TRZEBICKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,
EPISCOPI CRACOVIENSIS,
DVCIS SEVERIÆ,
Almæ Vniuersitatis Crac: Cancellarii Amplissimi.

*A*

PERILLVSTRI, & ADMODVM REVERENDO DOMINO
## D.M. ANDREA KVCHARSKI,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE, & PROFESSORE,
Ecclesiarum Cracovien: Cathedralis Canonico,
& Collegiatæ SS. Omnium Præposito, Curato Prossovien.
Scholarum Vladislaviano Novodvorscianarvm, & Contubernij
Hierosolymitani Provisore, Majoris Collegij Seniore Patre,
Academiæ Cracovi: Procancellario Dignissimo.
Post exactam rigidi certaminis censuram,
MAGISTERII In ARTIBVS,
& in Philosophia Doctoratûs Licentiati,
*Ritu Solenni renunciarentur; Amoris & Gratulationis ergò,*
*A*
BARTHOLOMÆO KRAVZOWIC, Eiusdem Laureæ Candidato,
RESERATA, luciq; publicæ CONSECRATA.
*Anno Salutis M. DC. LXXVII. Die Mense Iulio.*

CRACOVIÆ, Typis Vniuersitatis.

# IN STEMMA
## Illustrissimi ac Reuerendissimi Præsulis.



Et tangit terras, & in æthera prouolat altum
Gryphs socius terris, ætherìisq; plagis.
Sic homines dextrâ cumulas cùm Præsul amicâ,
Hoc ipso ætherìas tendis ad vsque plagas.
Tende licet semper, sed nè citò desere terras.
Nam meliùs terris commoda dextra tua est.

*IOSEPHVS SZASKIEWIC*
*eiusdem Laureæ Candid:*

*ILLVSTRISS: ac REVERENDISS: DOMINO,*

# D. JOACHIMO ŁVZENSKI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO WARADIENSI

PRÆPOSITO SCEPVSIENSI,

Sacræ Cæsareæ Regiæq; Maiestatis Consiliario;

*NEC NON CELSISSIMI PRINCIPIS DOMINI,*

D. SZELEPCHENII ECCLESIÆ METROPOLITANÆ STRIGONIENSIS ARCHIEPISCOPI, &c.

IN TERRA SCEPVSIENSI IN SPIRITVALIBVS Vicario & Causarum Auditori.

Domino, & Patrono Amplissimo.



*Ic humanæ Naturæ siue morbus siue error est, vt nimius illam habendi semper inuadat appetitus, & maiora desideranti, vita in tumultu sit,* Illustrissime & Reuerendissime Domine. *Pauci abditæ terris Laminæ inimici sunt: plures sibi ac fortunæ suæ plaudunt, quoties eius munera in se larga manu congesta contemplantur. Magna pars pauperiem, ingens probrum putant; & fortasse aliqui rei magis quam famæ famelici; non tam Laudis & gloriæ perenni cupiditate aguntur, quàm reditus amplissimos ad se deuolui, totis viribus connituntur. Cæcus nimirùm Pluto est, & quorum sese insinuauit pectoribus cæcos reddit; non satis adiectitia hæc bona æstimantes, tanquàm nec subduci, nec eripi possint; tanquam ipsis non vndiq; immineant casus, qui pretiosa hæc spolia celeriùs auferant, quam dederunt. Sed non omnium tamen culpa hoc humanæ naturæ vitium adhærescit; neq; vsq; adeò male, rebus nostris desuper est consultum, vt terrena hæc pondera cunctos premant. Plures sunt animi generosi, ac originis suæ memores, qnibus aliæ opes, aliæ diuitiæ æstimantur, in quas cùm nihil iuris sit instabili fortunæ, vere suos ingentibus fructibus cumulant possessores. Tales diuitiæ sunt, quæ a doctrina veniunt, quæ in omni vita fructus & commoda amplissima si non inuenit, facit. quæ virtutum omnium fidelissima præceptrix & Magistra, cuius tenerum animum virtutibus tanquàm Sacris adhibuerit; eum deinde ad omnia licet diuersissima officia vitæ, vsq; in exemplum suffecturum in theatrum publicæ lucis, grandi Reip. bonorumq; omnium fructu, feliciter promouet & producit. Ex huius ego thesauro Dactyliothecam hanc virtuti & Eruditioni VV. Secundæ Laureæ Candidatorum deprompsi, quam sub Tuo Illustrissime & Reuerendissime Domine, faustissimo nomine & patrocinio publicis conspectibus, libentissimè represento. Et verò cuius conuenientius ambiret fauorem munus meum, quàm Tuum, cuius animus diues bonorum omnium Dactyliotheca in se quasi in absolutissimò compendio totum complectitur, quidquid magnos exornat viros. Offert se inprimis pietas Tua, & tenerrimus Religionis Catholicæ Cultus, cuius strata viâ & patenti limite ad æternitatis templa magnis passibus semper progrederis, nihil ita in delicijs habens, sicut eius incrementum; in nullius rei cura ac cogitatione æque defixus, quàm vt alijs pulcherrimo exemplo ad eius amorem præluceas. Loquitur id manifestè Clerus in regionibus illis Pannonicis (quibus se triste vesanæ hæreseôs immiscuit virus) ad omnem probitati & modestia Catholicæ sensum, Tuâ potissimùm Paterna solicitudine & continuis vigilys laboribusq; compositus: quoq; rarissimum est blan-*



est blan-

*est blandq magis Naturæ Tuæ illicio; quàm seueris edictis & præceptionibus conformatus. Testantur templa pretiosa nitentia supellectili, & exquisitis cumulata donarijs, quasi eam summam putes felicitatem, quoties Tibi eundum est, in Cultum Diuini Numinis, toto virium facultatumq; Tuarum apparatu. Deprædicat literis intensè dedita iuuentus, cuius Tu vel ideò intercedis inopiæ, succurris tristi fortunæ, vt ex eius lectissimo seminario Ecclesia Dei strenuos & fidos Operarios, Catholica Religio ardentissimos habeat promotores. Sed enim pietas nunquam incedit sola, trahit in comitatum quidquid heroicum, quidquid magnificum est: & sicut omnis in humano corpore ab anima motus est: ita omnis virtutum præstantissimarum motus, in anima est, ab ipsa pietate. Sequitur Tuam pietatem prudentia, lux reliquarum honestissimarum actionum & anima consiliorum regula, quam Tu Sacræ Cæsareæ Maiestati splendidissimum vbiq; iubar spargenti, & illustranti omnia Domino Domino Clementissimo probasti sæpiùs, partim in difficilibus & perplexis negotijs, partim in arduis legationibus strenuè & feliciter obeundis, in quibus non semel bicipitem expreßisti Ianum, non solùm ante sed etiam retrò, in omnes intercurrentes salebras lynceos mentis Tuæ oculos immittendo. A prudentia velut à stirpe ramus, à flumine riuus, à sole radius non procul abit iudicandi dexteritas. Per quam neq; reis impune est; neq; tamen clementiæ simul ac seueritatis Tuæ quenquam pœnitet: adeò perfacile est Tibi homines emendare, non dicam reluctantes, sed (quod ampliùs est) libentes sæpiùs ac volentes. Ergò non alia Tibi opus fuit arte, nec alia industria, vt maximorum quorumuis virorũ conciliares Tibi gratiam, & fauorem mercreris. Certè ILLVSRISSIMVS ARCHIEPISCOPVS STRIGONIENSIS GEORGIVS SZELEPCHENIVS, cùm hanc viuidam & seriam animi Tui maturi grauitatem, sed Gratijs amabilem, ad omnes insigni moderatione sese demittentem deprehendisset, vsq; adeò Te in arctissimum amicitiæ & beneuolentiæ suæ adsciuit nexum, vt suum in terra Scepusiensi in Spiritualibus vicarium, & Causarum Auditorem delegerit, exactissima sua decernens prudentia bene feliciterq; totum à se Tuis humeris imponendum, quidquid tanto muneri ex debito conueniret. Illud verò quantoperè in Te elegantium ingeniorum monumentis perpetuò celebrandum est, nullum ita fontem patere sitientibus, nullius arboris vmbram fatigatis; sicut liberalitatem Tuam hominibus indigentibus. Intrant domum Tuam miseri infelices: vix vota fecerunt, imò nè fecerunt quidem (nam hæc etiam eis additur gratia vt preces anteuertas) cum redeunt beati. Neminem à se Tua benignitas dimittit vacuum, neminem irrita spe desideria sua nunciantem. Quidquid sibi in subsidia vitæ, prioris ætatis Tuæ seposuerat parca frugalitas id omne in impensas calamitosæ sortis hominum libentissimè confers & dispensas. Thesauros arbitraris, non quos poßides; sed quos elargiris: sæpè indignis benè faciens nè digni prætereantur. Et quid ergò mirum virtutis Tuæ famam illas quoq; Oras ingressam esse, quæ alieno iam Dominio continentur. Quid mirum alibi Te viuere, alibi meritis præconijs celebrari, cùm in nostros etiam animos Tua facta lumen suum immiserint, Tuiq; apud nos debitum pretium, perfacilè inuenerint. Meretur Tua ista venerabilis & Cygneá Canities, ab omnibus bonis amari, & nescio quid vnà secum adfert voluntati cunctorum gratum. Sed literæ tamen arctiùs Tibi obstrictæ sunt, quibus fouendis cùm Tu singulariùs allabores, ingratæ profectò essent, nisi suos Tibi gloriæq; Tuæ labores vectigales facerent, & in elogia Tua totæ funderentur. Admittes proinde inconditam licet earum vocem, & qui totus benignissimum Te Parentem exhibes, qualemcunq; conatum illarum boni consules. Transibit in vlteriores laudes ista facilitas, & futuræ Tuæ ad posteritatem gloriæ felici sanè omine præuolabit. Votum superest, vt Te immensa bonitas, diù seruet diù commodet terris, vt diù Tua vita plenissimo omnium virtutum thesauro, Ecclesia Dei, literæ hominesq; indigentes perfruantur. Ita voueo & supplex precor.*

Illustrisſimæ & Reuerendisſimæ Dominationis Tuæ

*Cultor & Cliens Humillimus.*

BARTHOLOMÆVS KRAVZOWIC
Secundæ Laureæ Candidatus.

# D. IOANNI CANTIO,

## *REGNI POLONIÆ, & VNIVERSITATIS CRACOV:*

# PATRONO,

Devoti cultûs Symbolum,

Corona ex hyacinthis, cæleſtem colorem imitantibus gemmis; cum epigraphe:

DIVOS CÆLESTIA POSCVNT.



*FVlgurat gemmis, riguoq; diues*
*Gaza Doctorum radiat metallo;*
*Indus, & Ganges ruit in togatos,*
*Gemmifer vſus.*

*Sic coronari labor eruditus,*
*Mille poſt curas, ſapiensq; virtus*
*Poſcit; vt conſtent ſua literatis*
*Dona triumphis.*

*Grando ſudoris quoties procellam,*
*In genas fundit ſtudio calentes;*
*Gemmeum terræ, pelagiq; pondus*
*Omne meretur.*

*Sed quid in noſtris, ſine Te coronis*
*Diue, viſendum potis æſtimari*
*Cernitur? quæ non Tibi prima fas eſt*
*Cedere dona?*

*Tu ſinus vaſti maris es, profundo*
*Gratiæ plenus; Tibi ſanctitatis*
*Ferre ſacratos licet vniones,*
*Diuite conchâ.*

*Perſidos quidquid pretioſus Orbis,*
*Atq; Atlantæi, tulit vnda Ponti;*
*Quidquid extremis veniens ab Indis*
*Copia fundit.*

*Hoc Tuæ vincit pietatis, ingens*
*Gaza, inexhaustis superans fodinis*
*Fulgurans auri decus, & remotæ*
*Viscera terræ.*
*Fixa mens cælo Tua, nil auebat*
*Quod sapit terram.* Devs *innocenti*
*Corde quæsitus; fuit vniuersi*
*Meta laboris.*
*Ergo cælestes hyacinthus in se*
*Exprimens vultus, Tibi consecratum*
*Cedit in donum, Tua sacra tumbæ*
*Busta coronat.*
*Gemma Diuorum, Patriæ, Scholæq;*
*Craciæ gemma es, super eminenti*
*Axe nunc fulgens, Lechiæq; nuper*
*Iuncta Patronis.*
*In Tuos cultus hyacinthus omnis,*
*Prona gemmarum numeret tributa;*
*Ad suum fontem redeat, quod ex Te*
*Sumimus omnes.*
*Cor Tibi supplex, sacra Gratiarum*
*Vota cùm soluit; veniant precatur*
*Gemmei soles, Tibi destinato*
*Diue triumpho.*

Perillustri, & Admodùm Reverendo Domino,

# D. M. ANDREÆ KVCHARSKI,

Sacræ Theologiæ Doctori, & Professori,
Ecclesiarum Crac: Cathedr: CANONICO,
& Collegiatæ SS. Omnium PRÆPOSITO, Curato Prossovien:
SCHOLARUM VLADISLAVIANO-NOVODVORSCIANARUM,
& CONTUBERNII HIEROSOLYMITANI PROVISORI,
Majoris Collegij Seniori PATRI, Academiæ Cracoviensis,
PROCANCELLARIO DIGNISSIMO

Pretiosis immortalium meritorum Vnionibus, & tertio iam auspicatissimi Procancellariatûs, laureatorum honorum prouentu feliciter coronata,

# PANEGYRICA HECATOMBE.



Mmortale decus, quod Te meruisse fatemur,
Iam Tibi tergemino surgit, Vir Maxime cultu,
Continuans augusta Tvæ fastigia laudis.
Tertius hic splendor trabeæ, qui fulgurat in Te
Pulcher & emeritus. nec maiestate togatâ
Digniùs est quidquam; quàm quod venerabile tanti
Fert senium, meritumq; viri; cui ternio felix
Subicit acclines pronâ ceruice coronas.
Hoc agimus, triplicemq; Tui signamus honoris
Gemmarum serie laurum, nam singula vitæ
Tempora, doctrinæq; Tuæ momenta supersunt,
Æternùm signanda cedris, dignissima gemmis,
Sed Tibi gemmiferos amnes, atq; aurea regna
Gazarum, ditesq; sinus non pandimus Orbis
Exotici. non est alienæ viscera terræ,
Et pelagi scopulos, & conchæ rumpere fibras
Mens nobis. satis est, quod pridem maxima virtus,
Et sapiens animus, pretiosum condidit in Te.
Hinc Tibi diues opum, sed quam virtute parasti,
De proprijs meritis Hecatombe gemmea surget.
Vir sapiens fons ipse sibi, ductusq; perennis
Laudis inexhaustæ. fulgent externa, sed intùs
Vmbrarum densæ tenebræ; quibus indiga mens est
Iudicij, sensusq; boni. quid murice toto,
Vellere quid Tyrio, conchisq; nitentibus Indo?
Quid prodest Bactris vestiri, Taprobaneq;
In gemmas fusa? vacuum si mente sagaci
Pectus eget? nudosq; lares sine Pallade docta
Postibus exiguis seruat. ditissimus ille
Internis opibus thesaurus, & vnicus Orbi
Sufficiens; qui vera sapit, qui non petit extra
Quò niteat; trabeæq; suæ conchylia nescit,
Quæ non ex merito veniunt, longèq; petuntur.
Oceanus gemmis, auro se tollit Hydaspes,
Effodiunt Arabes, quod tramite condidit imo

 Vena

Vena metallorum, non expletura calores,
Immensamq; sitim, nunquàm cessantis auari,
Infra animum sunt hæc. qualem Tibi summe virorum
Propitij Superi cælo tribuêre fauenti,
Sublimem, magnum, constantem, iudicioq;
Acri pollentem. quid enim non pectore dignum,
Heroo gessisti? quo non spiritus ille
Dexter, & in rebus toties spectatus agendis,
Impulit excelsam mentem? Tibi laurea postquam
Concesit gemino plausu; vox publica de Te,
Iudicium postquam magnos formauit ad vsus;
Exantlata Sophûm Stagyræ Tibi porticus omnis,
Submisit doctos apices, palmamq; sciendi
Contulit ex voto. Tu non extrema Sophorum,
Atq; superficiem solam, littusq; propinquum,
Segnibus in curis tenuisti serius in rem,
Attentusq; ibas; quò Te duxêre profundi
In studio sensus; & mens in cortice veri
Hâud sistens vnquam. non Te per iurgia Stoæ
Vincendi tenuit cacoethes; non malus ille
Turbo cathedrarum, sciolos qui sæpè fatigat.
Par animo candor, par & virtute docendi
Integritas; captumq; alijs, & viscera præbens
Intima, sinceri fuerat sapientia cordis.
Sic vtramq; Domum, carus maioribus, & par
Iudicio de Te cunctorum, nomine pleno,
Eximius poteras, & rem impleuisse Professor.
Certatum de Te, velles vt sanguine magno
Illustres animas, Heroica pectora nata,
Ex Patriæ genio curis formare secundis.
Et respondit opus prænobile, pollice docto
Exactum per Te, solidæ virtutis ad vnguem.
Publica Te Regni facies, augustaq; Regum
O quoties magnis sensêre palatia rebus
Egregiè functum! quanto Tibi laurea Romæ
Theologi Princeps capitis collata! domique
Doctoralis apex quanto tibi cessit honore!
Seruatas leges, libertatisq; togatæ
Vindicias, magnosq; ausus in cardine rerum
Res plenas odijs, turbatas, milleq; nodis
Implicitas, motusq; graues, & fulmen habentes
In placido per Te positas, Academica Pallas
Rectori toties debet Tibi, Bibliothecæ

Sumptibus, & curis per Te pulcherrimus ordo,
Maiestasque stetit sapiens. quid prodiga dicam
In sacros vsus, effusaq; dextera quantùm
Aris Diuinis impendit; & ardua sumptu,
Quanto perfecit longæ molimina curæ.
Hæc Tua magnanimi cordis celsissima virtus,
Cælestes agitans curas, felicia cæptis,
Iamque coronato nuper gaudentia fine
Fundamenta dedit; quêis nunc Vaticana potestas
Summa triumphorum Diui fastigia CANTII
Imposuit; verè benedictâ luce beatum
Decernens, totiq; Orbi venerabile nomen
Diuorum cultu statuens. quod nectare mentes,
Milleq; lætitijs cùm nostras dulciter implet;
Æternum Vir summe tibi pretiumque decusq;
Conciliat; senijque tui tot prorogat annos;
Quot meritis fulges, doctæ quod serta coronæ
E manibus venêre tuis. Sic viuè perennis
Tu Pater, & Gazæ tu maximus vnio nostræ.
Sic tuus, in numero Diuino, ternio felix
Nestora te faciat; quem post tot gesta, diesq;
Annorum ex gemmis Hecatombe terna coronet.

# CLARISSIMIS, & EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

# DD. EXAMINATORIBVS,

*Clarissimo, & Excellentissimo Domino,*

# D. M. FRANCISCO KACZOROWIC,

Collegæ Maiori, Regio Professori,

*AC PRO TVNC*

Philosophicæ Facultatis DECANO;



*Excellen-*

*Excellentißimo, & Admodum Reuerendo Domino,*

# D. M. VALENTINO MAZVRKOWIC,

Collegæ Maiori, Tyliciano Eloquentiæ Professori, Canonico Sanctæ ANNÆ;

*Excellentißimo, ac Doctißimo Domino,*

# D. M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,

Collegæ Minori, Ordinario Poëseos Professori,

## Museum ex Margaritis, in tertio Pompeij Magni triumpho, apparatu, & pretio maximo, Romæ inter spolia exhibitum.

*Cum Epigraphe; Hoc pretium Sapientia vincit.*



*X Orbe victo, quod Latij tulit*
*Virtus Gradiui, Romuleo super*
*Throno reponens, inuidendæ*
*Prodigium, spoliumq; gazæ;*

*Vestros honores, doctaq; pectora*
*Censu togato poscit; vt omnium*
*Tributa vobis Gratiarum,*
*Quæ grauibus meruisse curis.*

*Vos constat; isthoc delicium ferat*
*Gemmis onustum. viscera gentium,*
*Regumq; gazas, & gementem*
*Pondere sub nimio metalli;*

Orbem remotum, Romuleo manus
Scrutata ferro; collibus intulit
Septem; quod admiranda latè
Per populos tenuêre Regna.

Transgressa vastos Oceani sinus
Tygrimq́, & Euphratem, fulmineo domans
Terrore, Pompeî triumphis
Roma iugo docuit Latino

Subesse gentes, Ausoniis procul
Terris remotas; dùm Capitolio
Inuectus Orbis vna in vrbe
Se stupuit, spolioq́ cessit

Haud vindicando. gemmea Principum
Musea, nullo quæ pretio fuit
Fas æstimari, turba plebis
Spectat iners numeratq́, raptæ,

Momenta gazæ. quin potiùs decus
Hoc literatum, cor Sapientiæ
Delectet an Musea poscunt
Pectora, præter amica Musis?

An eruditis non magè fulgurat
Mens vestra gemmis? quæ Tibi Præsidi
Stoæ KACZOROWIC togatæ,
Plena nitet meliore cultu.

Felicitati non poterat Tuæ
Corona maior cedere; quàm duplex
Propago, laurûs vtriusq́,
Illa Tuis memoranda fastis

Accedet. & quas ingenio Tuo,
Et eloquentis nectare copiæ
Mereris, exsertis tot aucta
Adiiciet tibi fama laudes;

*Vt purpuratis viuat honoribus,*
*Perfuncta dignè ſedulitas Tua.*
*Muſea nec Te Margaritis*
*Plena, minùs pretioſa poſcunt.*

*O gemmearum diues opum penu!*
*Fodina docti pectoris aurea*
MAZVRKOWIC, *flos, & vetuſti*
*Verus amor ſapientis æui.*

*Te par ſecuta eſt, per cathedras Sophûm*
*Intelligendi gloria; par ſacris*
*Facunda dicendi poteſtas,*
*Tyliciis ſequiturq́. roſtris.*

*Muſis amicum pectus, vt aurea*
*Teſtudo Phœbi, Te fidibus ſuis*
*Delectat; vt vocale tecum*
*Viuit ebur, cytharasq́. formet;*

*Sic,* BIEZANOWSKI, *ſola oculos tibi*
*Pupilla mentis ſupplet; & vnicum*
*Solamen ex alto, quod omnîûm*
*Eſt operum pretioſa merces.*

*Hæc Gratiarum gemmea figimus*
*Muſea vobis. hîc animus memor*
*Conſignat æternùm, labori*
*Quæ poſuit monumenta veſtro.*

*Perennet Orbi, noſtra quod æſtimant*
*Gemmis, & auro pectora cariùs;*
*Doctas quod ex veſtro datum ſit,*
*Iudicio meruiſſe palmas.*



# DACTYLIOTHECA
## LAVREATI HONORIS.
## I. V. D. IOANNI KACZOROWICZ.

Corona aurea ſeptem pondo, Claudio Cæſari poſt victoriam, à Britannis dono miſſa.

*Symbolum.* Manus è nubibus, Coronam auream, & Palmam tenens, à Britannis dono miſſa.



LEMMA. Certamine primus, & Coronâ.

GEmmea quæ docto ſeries reſeratur honori,
Prima Tibi auguſtæ fert ornamenta coronæ
KACZOROWICZ. ſudatus apex certamine toto,
Conflictuq; prior, meruit diademate primo
Romanæ cingi trabeæ. res ardua Martis
Puluere ſanguineo ſi gemmea dona meretur,
Victrices Palmasq; capit. quid mentibus altis
Conflictus Sapiens, acies quid maxima rerum
Ingenio certante dabit? tu primus ad omnem
Difficilis ſpartæ iactum, nec territus ibas
Ad rigidam Stoæ cenſuram. nempe togatis
Dotibus egregiè inſtructum, præclara modeſti
Pectoris, & morum grauitas, & ſedula virtus,
Iudiciiq; vigor maturus, ad omnia promptum
Fecerat. vt poſſes clariſſima nomina Fratris,
Quæ Tibi in exemplum prælucent, laudibus ipſe
Expreſſiſſe tuis. tanto ſudore parata,
Ergò Tibi cedat pretioſo maxima dono,
Aurea Cæſarei capitis, princepſq; corona;
Vt Tibi laurigero quæ nunc præcedit honore,
Diuinas etiam virtus quæ fertur ad Aras,
Tota coronatum vitæ ſuccedat in Orbem.

# II. V. D. THOMÆ SKORKOWSKI PRÆSBYTERO.

Carbunculus gemma fulgoris maximi, ignium similitudine ardens.



*Symbolum.* Fax accensa in candelabro aureo ante Aram.

*Lemma.* Vt luceat, & ardeat.

*IGnibus sacris decet, vt calescat*
*Quod* DEO *pectus semel est dicatum;*
*Omnium lux est, radiansq; vitæ*
*Gemma Sacerdos.*
*Lucet exemplo, pietate, zelo*
*Ardet; vt vitæ iubar innocentis*
*Omnibus prosit, velut eminenti*
*Lampas in axe.*
*Hoc Tibi, Mystes venerande, cultam*
*Impulit mentem; fieres togatæ*
*Lucis accessu, magis vt Sacratis*
*Vtilis Aris.*
*Pulchra virtutis decorat corona*
*Hoc caput sacrum; tamen eruditis*
*Pulchrius gemmis, decus ampliatum*
*Fulgeat in te.*
*Lucidis carbunculus ergo flammis,*
*Docte* SKORKOWSKI, *Tibi laureatâ*
*Fronte splendescat, geminetq; Sacræ*
*Lucis honores.*

# III. V. D. ANDREÆ SIGISMVNDO PASCHACY.

***Solis gemma candida, & ad speciem sideris, in Orbem fulgentes spargens radios.***



*Symbolum.* Liber apertus super quē Sol fulgentibus supra mensam positus, radijs coruscat.

*Lemma.* Ad lucem publicam.

Quod

QVod fulguranti ſole nitentibus,
Gemmis coronet, te Iagelonica
Stagyra, Paſchacy; coruſcum
Hoc animi iubar, & fidelis,
Labor meretur. Poſna Tibi graues
Lubranſciani quam benè credidit
Curas Lycei; quam diſerto
Ore Tibi, calamoq; ſuada
Reſpondet! inter publica Rhetorum,
Et eloquentis roſtra ſcientiæ;
Quæ Tullianos exedrarum
A calamo meruêre plauſus.
Hæc illa Sparta eſt, quæ probat ingenî
Verum nitorem; quæ faciem Tibi
Lucis coronatæ ſerenat;
Vtq; animo magis excitato,
In ſole pergas viuere publico;
Te gemma Phœbi poſcit, & aureo
Librumq;, dextramq; eruditam,
Eloquii radio coronat.

## IV. V.D. JOANNI MILCZARSKI.

*Statua maximi pretij, ex Topazio gemma, à Ptolomæo Philadelpho, in delubro quod vocabatur aureum, erecta.*

*Symbolum.* Manus vna Sceptrum tenens; altera manus caduceum Mercurij geſtans.



*Lemma.* Mentes ſuada regit.

GEmmatæ ſtatuæ, quod Tibi ponimus
MILCZARSKI *columen; prodiga fecerat*
*Immenſis opibus dextera Principum,*
*Moles condere maximas,*
*Ingentiſq; penu fundere copiæ*
*Vſu magnifico ſueta. ſed aureo*
*Delubro quid opus? quiduè topazij*
*Grandis machina fulguret?*
*Hæc eſt eloquij gloria certior,*
*Quæ mentes animat; ſceptraq; pectorum,*
*Dictis quæ meruit. mellifluæ Tibi*
*Qualis nectare gratiæ,*
*Riuis deproperat fuſa liquentibus;*
*Hanc morum ſequitur compoſitum decus,*
*Et lenes placidi cordis Eteſiæ,*
*Et flos mentis amœnior.*

*Facundum regimen flexanimâ dabis*
*Virgâ Mercurij, gemmaq; mentium*
*Fies; ex animo, quem Tibi condidit*
*Virtus, ingenij comes.*

## V. V. D. THEODORO ŁOIEWSKI.

*Beryllus gemma, probatissimo colore, viriditatem puri maris repræsentans.*

*Symbolum.* Duæ frondes laureæ, intra quas liber clausus, & super eum mitra Doctoralis posita.



*Lemma.* Dignus laureâ, qui certauit pro laureis.

DOctæ vindicias togæ,
Grato laurigeri munere pectoris
ŁOIEWSKI, placuit Tibi
Libertates sequi, voceq; candidâ.
Ceris nobilibus, decus
Quàm sit conueniens Palladis inclytæ;
Regum quod diademata,
Quod visum est trabeas cingere Principes;
Zelans eloquij tui,
Pro doctis statuit gratia laureis.
Quidni gemma virens maris,
Et laurus geminæ perpetuus viror
Concedat Tibi Vindici?
Vernans ingenium nec Peripateis
Abstraxisse negotijs,
In te Diua Themis Iustitiæ arbitra,
Arcanis voluit suis.
Felix Te sequitur laurea in omnibus;
Quæ defensa, caput Tuum
Fas vt mille alijs cingat adoreis.

## VI. V. D. ANDREÆ WAWRZYNKOVIO.

*Chrysolampis gemma fulgentibus noctu radijs, lampades igneas, lucemq; suauissimam referens.*

*Symbo-*

*Symbolum.* Laurus arbor, supra quam tres ſtellæ radiantes coruſcant.




*Lemma.* Laurus amica polo.

*CAſibus in medijs, ſpes optima quàm ſit erigenda;*
*Quantumq́ virtus, maſculumq́ poſſit*
*Pectus in extremis; dum concidit omne, quod tenebat*
*Regni ſalutem, Patriaq́ fulcrum;*
*Suauis in eloquio verè Tua ſuada, cùm diſerto*
*Probaſſet ore, gratiaq́ fandi*
W A W R Z Y N K O W I C; *opus prænobile fecit, auream q́*
*Præferre viſa eſt lampadem, profundis*
*Noctibus, atq́ malis, quæ vincere ſumma vis laborum.*
*Hinc eloquentis gemmeum nitoris*
*Fulgur habe; doctâ quod lampade, pulchriùs coruſcat;*
*Dum tetricis nox denſior tenebris*
*Eripit omnes ſpes. nomen tibi dulce laurearum,*
*Ignes amici ſyderum coronant.*
*Semper amica polo laurus fuit, & procul tonitru*
*Intacta, ſacra, floridi viroris.*
*Hæc frontis niueæ quando decus, ingeniq́ dotes*
*Quando ſecundis laureat corymbis;*
*Sydera cum gemmis donans tibi, nonne luce tantâ*
*Prælucet altos ad gradus honorum?*

## VII. V. D. CAROLO DZIEDZICZKOWIC.

*Luna aurea maximi ponderis, & pretij, in triumpho tertio Cnei Pompeij, magni prælata.*

*Symbolum.* Luna plena quam ſol ex oppoſito illuminat.



*Lemma.* A fonte lucis illuminor.

PLena tibi facies aurato lumine ſurgit;
Cynthia quam pretioſa miniſtrat.

Exprimit hæc animi vultum, doctosq; nitores;
Mens quibus interior Tibi fulget.
Hæc, DZIEDZICZKOWIC; naturæ dona, tuiq;.
Ingenij decus, eloquijque,
Luminis ad fontem, teneris deduxit ab annis;
Atq; imitanda dedit sapientis
Tot præclara exempla viri. cûi vincula tecum
Sanguinis; & speculum meritorum
In quo propositum, decet vt virtute sequaris;
Indolis egregiæq; fauenti
Vtaris genio. præstò est facundia Tulli
Dexteritasq; animi, viridantis
Ætatisq; vigor. tu lucem pectore toto,
Cynthia ceu Phœbi iubar omne
Admittas. fontemq; tuum dum respicis, illo
Fac animi clarescere dona.
Sic Te doctrinæ studio, virtuteq; parta,
Lux sapiens, & plena sequetur.

## VIII. V.D. IOSEPHO SZASKIEWIC.

*Adamas pretiosissimus inter delubrum Mercurij, & Insulam Meroen, Regum maximo ornamento inuentus.*



*Symbolum.* Aquila desuper volans, vno pede annulum cum gemma; altero clypeum tenens.

*Lemma.* Pro Majestatis Honore.

*ARdua summorum quando fastigia Regum,*
*Purpureosq; thronos*
*Maiestate pari, per Te facundia vindex,*
*Magnanimusq; labor*
*In tuto posuit; populi nec cedere linguis*
*Imperij trabeam,*
*Augustumq; decus voluit. pulcherrima surgens*
*Palma Tibi, meruit*
*Ex adamante dari, pretiosæ munera gazæ;*
*Principeq; Phario*
*Digna fuère thronos quæ clypeum pro Principe gestans,*
*Accipe gemmiferum*
*SZASKIEWIC donum; Iouis ales, Lechiadumq;*
*E solio volucris*
*Quam Tibi regnatrix defert. Te sedula virtus,*
*Dexteritasq; Tua,*
*Iudicijq; Tui maturum pondus, amorq;*
*Peruigilis studij*
*Pluribus ornabit; consumataq; reponet*
*Lucis in auge virum.*

# IX. V. D. ALBERTO STYRKOWSKI.

*Tripos aureus, Delphicis Phœbi oraculis ſacer.*




*Symbolum.* Menſa rotunda, cum tribus pedibus, ſuper quam diploma cum ſigillo; & iuſtitiæ libra.

*Lemma.* Ad aurea oracula Iuris.

SAcrum Tribunal Te ſibi vendicat,
Oraculorum cum tripode aureo;
Jurisq; STYRKOWSKI, receſſus
Diva Themis Tibi deſtinatos,
Ex aſſe pandit. Iuſtinianeis
Exacta curis mens Tibi, nec Sophûm
Arcana felici reliquit
Ingenio; nec amica Muſis
Humanioris dona ſcientiæ.
Nempè æſtimaſti, pulchriùs id Tibi
Si Iuris ornamenta ſacri,
Et Sapiens Peripatus ornet.
Nam Stoa format iudicium graue,
Collineansq; , & rebus in arduis
Sat expeditum. quod licebat
In rigida reſeraſſe Sparta.
Tuo labori. fac igitur tripos
Qui Te coronat iuſtitiæ aureus,
Ad ſumma Te Subſelliorum,
Sorte bona comitante ducat.

# X. V. D. ALBERTO TOPINSKI.

*Octauiani Auguſti gemma, quæ Vultum eius Maieſtate plenum expreßit, ab alijs Imperatoribus pro ſignaculo habita.*



*Symbolum.* Gladius diſtrictus Alexandri Macedonis, nodum Gordium reſcindens.

*Lemma.* Præſtat ſcindere, quàm inuolui.

ROmana Cæsar Sceptra qui felicibus,
Augusta fecit pacis altæ sæculis,
Gemmam, TOPINSKI, donat annuli sui,
Ad eruditæ gloriæ Tuæ decus.
Hic ille vultus, dignus imperî throno,
Orbisq; cultu, gratioso cernitur
In ore Maiestatis. ad perardua
Felicitatem publicam firmauerat
Momenta belli. pacis & tu fœdera
Non improbasti. sed dolosa, noxia,
Rumpiq; prona, barbaris placentia;
Hæc ore, mente, spirituq; vindici
Tollenda suadens; ense nodos Gordios
Quêis implicari plena res periculi,
Scidisse visus es. quid hic sensus Tuus?
Fomenta nonne signat indolis bonæ?
Amansq; honesti pectus? ad Stoæ quoq;
Arcana nodis Gordijs plenissima
Aptum resoluenda, & Cathedris optimam
Frugem daturum, literisq; gloriam.

## XI. V. D. MATHIÆ BALFOR.

*Sandastros Indica gemma, cui commendatio summa, quod velut in translucido stillantes, fulgent in ea aureæ guttæ.*



*Symbolum.* Fons aquarum perennium, floribus varij generis circumquaq; excrescentibus circumdatus.

*Lemma.* Vt Fontem suum coronent.

DIues gemmiferæ munus ab Indiæ,
Gazis, sydeream quod faciem gerens,
Intus corde liquenti,
Guttis fulgurat aureis
BALFOR, Te decorat. cernitur hîc Tuæ
Mentis perspicuum, leneq; defluens
Doctæ gratia suadæ,
Et culti decus ingenî.
Hoc Tu, quod Craciæ Matris ab vbere
Suxisti, proprijs reddere fontibus
Iustum quando putasti
Libertatis amantior;
Fontem muneribus florigeris Tuum
Ornasti; eloquio promptus, & indole
Grata. quæ Tibi fontes
Diuinos sapientiæ,

Plenè

Plenè laurigeris pandet honoribus;
Dùm mentis speculum quod nitet aureum
Tersis vndiq; curis,
Reddes pulchrius indies.

# XII. V. D. PAVLO ANTONIO ZONTAKIEWIC.

*Mons aureus quadratus, cum ceruis, & leonibus, & pomis omnis generis, circumdatis aureis racemis, in triumpho Pompeii Romæ exhibitus.*



*Symbolum.* Mons excelsus vndique virens, in cuius fastigio arbor, ex qua poma aurea dependent.

*Lemma.* Potieris in alto.

*NOn poterat meliùs, præclaris dotibus in Te*
*Respondisse decus; quàm quod fastigia montis*
*Aurea, Pompeî quondam spectata triumphis,*
*In Tua deduxit pretioso munere dona.*
*Omnia sunt animi tantis fulgoribus; in Te*
*Digna coronari decora, ex virtutis honore;*
*Quæ, ZONTAKIEWIC, quamuis excelsa tulisti;*
*Hæc tamen haud iactas, conatibus omnia iustis,*
*Exactoq; sequi cupiens, solidoq; labore.*
*Cantia Te genuit tellus, fecitq; Patrono*
*Eloquium seruire Tuo. mons aureus iste est;*
*Vnde tot è cælo gazarum copia nobis,*
*Diuinumq; penu reseratur. Præside tanto,*
*Vt felix succedat opus, quod grauiter vrges;*
*Hesperios fructus, mons aureus en Tibi monstrat,*
*Inuitatq; Tuos conatus. perge secundis*
*Passibus, ingenium prœstò est; seu dulcibus illud*
*Eloquij Cathedris, seu doctæ aptare Stagyræ*
*Est animus; cedent successibus omnia lætis;*
*Vt meritis, votisq; Tuis potiaris in alto.*

# XIII. V. D. SEBASTIANO, LORENCZOWSKI.

*Lampsacena gemma in metallis auriferis inuenta, quæ propter eximiam pulchritudinem Alexandro Magno dono missa fuit.*

*Symbolum.* Cor flammis ardens, inter galeam & hastam positum

*Lemma.* Sic fortia pectora calent.



ORbis victori pulcherrima gemma Monarchæ,
Concessit radijs quæ pretiosa suis;
Hæc, LORENCZOWSKI, miro splendore coruscans,
Imponit capiti gemmea serta Tuo;
Dignus es hoc animi dono, vis inclyta mentis
Ingenij meruit quod bonitate Tui.
Fortia suasisti, sed amoris lampade sacrà,
In Patriam pectus si pietate calet.
Nil galeæ, & gladij, nil Martia robora prosunt;
Si patriæ zelo, fortia corda carent.
Egerat hoc facunda Tuæ præstantia suadæ,
Visaq; sunt dictis, omnia victa Tuis.
Nec Peripatus habet, felix quod mente capaci
Non penetres, Tibi quod docta Stagyra neget.
Cantiadæ Natale solum, diuinaq; virtus,
In Te felici contulit ista bono.
Hoc & clara Tui Patris ornamenta dedêre,
Cûi meritum cinxit docta corona caput.
Omnia Te exornant; Tu fac vt dotibus istis,
Sis Patris, & Patriæ, lausq; , decusq; Tuæ.

## XIV. V.D. BENEDICTO KAWALCZEWSKI,

### *Hexacontalitos gemma, multitudine colorum, & venustate admirabili refulgens.*

*Symbolum.* Cornu copiæ varijs floribus, & fructibus plenum, ex quo vt sugant mel, apes advolant.

*Lemma.* Suavissima colligunt.



*QVæ copiosis dotibus affluit,*
*Vt gemma cedat multicolor Tibi,*
*Claro, KAWALCZEWSKI, mereris*
*Ingenio, sapidoq; cultæ*

*Dulcore suadæ, diues Amalthea*
*Pomona cornu, Floraq; condidit,*
*Vernante Gaza gatiarum;*
*Hæc apibus, sapor, & medulla,*
*Fauos ministrans. nec minor est Tibi*
*Ab eleganti nectare gratia;*
*Quod dulce mellitos Platones,*
*Ambrosio legimus tulisse*
*In ore nectar. mellificas apes*
*Hoc vrget ad Te, doctaq; porticus*
*Habebit in Te, quo Sophorum*
*Per Cathedras solidè fruatur.*
*Præstantis in Te spes bona Patrui*
*Exempla viuent. Tuq; laboribus*
*Ibis coronatis, in vna*
*Omne decus referesq; gemma.*

## XV. V. D. STANISLAO ŁVZINSKI.

*Pyropus gemma, ignitis radiis ardescens, exornandis Regum monilibus vsitatissima.*



*Symbolum.* Candida columba, in ore ramum oleæ tenens, hastæq; bellicæ insistens.

*Lemma.* Pax in cuspide belli.

MArs cruentatis quoties in armis
Sæuit extremè; bona pax ab alto
Prospicit terras, oleamq; fert in
Ore columbæ.
Principum curas sed anhela torquet
Sæpè tempestas, placido quiescant
Donec in portu; quibus inde iusta
Gratia surgit.
Suada, ŁVZINSKI, Tua gratiarum
Plena, Regalis trabeæ labores
Sic coronauit, meruitq; dignæ
Præmia laudis.
Ergò quæ Regum decorat monile,
Gemma Te poscit, radians pyropi
Ignibus plenis, super eruditæ
Fronde coronæ.
Iuncta candori niueæ columbæ,
Pulchra Te morum comitas adornat;
Illa Te gemmam faciet, togatâ
Luce nitentem.



XVI.

V. BENEDICTVS GASPAR KAWALCZEWSKI.
*In vim Fraterni amoris.*

## XVI. V.D. BARTHOLOMÆO KRAVZOWIC.

*Carolloachatem gemmam aureis guttis, intra coralli ruborem fulgentibus distinctam offert.*



*Symbolum.* Rosæ purpureæ in horto pulcherrimè efflorescentes, quas vna Musarum decerpit.

*Lemma.* Ad Musarum Coronam.

*GEmmârum radijs dulce rubentibus,*
*Iungit purpureum delicium rosa,*
*Ostro tota rubens Principe; quæ Tuam*
*KRAVZOWIC, decet indolem*
*Flos es Pegasidum, gemmaq; purpuræ;*
*Hortorum medio, quam niueæ manus*
*Decerpunt; capiti cedat vt aureo*
*Musarum decus inclytum.*
*Gemmas eloquij gratia cum rosis,*
*In Te visa loqui; quando togæ sacras*
*Laurus, Nobilium iungere sanguini;*
*Pulchrum, & nobile dixeras*
*Veræ laudis opus. sed cytharæ quoq;*
*Præstò est dulce melos; quo roseum ebur Tuum,*
*PRZYIEMSCÎ cecinit nomen amabile, &*
*Gemmæ GÆSIOVIÆ annulum.*
*Ergò puniceus flos Tibi, gemmaq;*
*Hyblæis opibus seruiat æmula;*
*Tu sis eloquio, Tu cytharâ Tuâ*
*Flos, & gemma coronidis.*

## XVII. V.D. IOANNI NOSKOWIC.

*Imago ex Margaritis incomparabilis pretii, effigiem Pompeij Magni in triumpho eius exprimens.*



*Symbolum.* Speculum lucenti Soli oppositum, vt radios eius excipiat.

*Lemma.* Vt lucem capiat, nitet.

Fulmen

FVlmen belligerum, gentes quod terruit omnes,
Quas Lybicis, Asiæq; tenebat
Diuisis latè populis vastissimus Orbis;
Romuleo spectata triumpho
Regnatot, & Regum spolia, & ditissima gazis
Pondera dùm ferret pretiosis;
Gemmea Pompeî facies, diuinaq; vultûs
Gratia, delicio Capitoli
Cuncta triumphorum, visa est superasse trophea;
Quod speculum venerabile tanti
Poneret ore viri. NOSKOWIC munere docto,
Quam donat Tibi Pallas amica.
Est Tibi clara domi spectatæ lucis imago,
Innumeris dignissima gemmis.
Est Patrui virtus, doctæq; scientia mentis;
Quæ calamo celebris, sapiensq;
Tot dedit in lucem solidi monumenta laboris.
Indolis egregiæ, placidiq;
Dotibus ingenij facies; vt gemmea per Te
Lux Patrui, virtusq; coruscet.

## XVIII. V. D. JACOBO GLINSKI.

*Sardonyx Polycratis Samij gemma, fortunæ prodigio celebris, Romæ in Concordiæ templo deposita.*



*Symbolum.* Manipulus sagittarum, in medio duarum palmæ frondium, supra manipulum laurea corona.

*Lemma.* Concordes animi vincunt.

*DIuisos animos grauis procella,*
*Regnorum quoties malo fatigat,*
*Fundamenta ruunt; nihilq; fatis*
*Est viciniùs vltimi pericli;*
*Quàm cùm mutua tollitur catena*
*Mentes consocians. sagitta prona est*
*Frangi, si vnica sit procul maniplo.*
*Nullus fasciculi beata vinclâ,*
*Totis viribus Hercules resoluit.*
*Hoc suadentis opus Tuæ suâdæ*
*GLINSKI sensimus; in rebelle quando*
*Regnorum vitium, calebat in Te*
*Fandi spiritus. est Tibi fauentis*
*Naturæ bonitas, capaxq; pectus*
*Culturæ, Craciÿ soliq; felix*

 *Instin-*

*Instinctus. superest vt ista, nexus*
*Concors ingenij, & laboris in Te*
*Æternùm societ. monile gemmis*
*Sic fies pretiosius togatis,*
*Augebitq; Tuas corona palmas.*

## XIX. V. D. CASIMIRO GRODZICKI,

*Libanochros gemma thuris similitudinem ostendens, sed Succum mellis habens.*



*Symbolum.* Anchora ex nauigio dependens, flantibus ex opposito duo bus hinc, & hinc ventis,

*Lemma.* Spes optima firmat.

VIrtutem solidam, nemo per aspera,
Iuratis potuit frangere motibus.
Undas Æolias, sæuaq; flamina,
Syrtes, & Scopulos, Acroceraunia,
Neptuniq; graues exsuperat vices,
Spes virtute potens. non licet arduis
Pectus magnanimum rebus, ad infimos
Census proicere. hæc nos tenet anchora,
In vitæ medijs fluctibus, optimam
Quæ spem non minuit. nec tenero Tibi
GRODZICKI genio spes bona concidat,
Quam suasisti alijs. Te Craciæ tulit
Urbis, terra fauens ingenijs bonis;
Ætas floridior nec Tibi gratiam,
Conatusq; bonos abstulit. omnia
Sunt in flore Tuo. quod Tibi gemmeus
Signat pulcher honos Libanochros Tuæ,
Thus, & mellis habens nectareos fauos;
Ut virtutis opus, spes bona quod dedit,
Contendas animo reddere firmiùs.

## XX. V. D. PAVLO WOLECKI.

*Lychnites gemma lucernarum accensarum similitudinem, & præcipuam gratiam habens.*

Symbo-

*Symbolum.* Insula in portu Alexandrino, supra quam turris erecta stat, in cuius fastigio lampades accensæ cernuntur.



*Lemma.* Claret vsibus omnium,

A*Ccendit Orbi fulgurantes lampadas,*
*Deditq; Ponto lumina,*
*Ignita moles, Mempheosq; Principum*
*Lucerna portu maximo,*
*Fastigiatis ducta cælo turribus,*
*Opaca tollens noctium.*
*Vsus ad omnes claritudo hæc lampadum,*
*Scintillat alto vertice.*
*Sic eruditis mentium fulgoribus,*
*Sublime quidquid eminet*
*Plenè coruscat. hoc* WOŁECKI *gemmeæ*
*Ardor lucernæ nuntiat,*
*Quæ claret in Te, literatis dotibus*
*Culti, modesti pectoris.*
*Quodcunq; Pallas fert Tibi negotium,*
*Maturus hoc, & serius*
*Conatus in Te perficit fideliter,*
*Vt luce verà fulgeat.*
*Fulgebit, & Te claritate nominis,*
*Reddet lucernam gemmeam.*

## XXI. V. D. IOANNI GORECKI.

***Amianthus gemma; contra quam ignium vehementia nihil proficit, quinimò eam puriorem reddit.***

*Symbolum.* Phœnix avis in medijs ignibus ardēs, vt iterum viuat.



*Lemma.* Non extinguetur.

NAturæ volucris prodigium, Tibi
GORECKI medijs ignibus æstuans,
Et mox igne resurgens,
Inter gemmea munera



Con:

Concedit. quid enim flammea vis potest
Contra hæc symbola? quæ cor sapientiæ
Signant ritè dicatum, &
Immortalia cogitans.
Sæuis omne malum ferueat ignibus,
Mens intacta, viri qui solidè sapit,
Flammis purior exit,
Vitalesq; rogos habet.
Hoc in Te probitas, hoc animi bonum,
Ex virtute Tua præstat, & indoles
Curis apta togatis,
Et dos pulchra modestiæ.
Fortunam superans, purius ex ea
Conatûs referes magnanimi decus;
Virtus omnia vincet,
Doctis iuncta laboribus.

## XXII. V. D. ALBERTO KVRELKOWIC.

*Crystallus in Capitolio Romano à Liuia Augusta, magno honore, & pretio dedicata.*

*Symbolum.* Pegasus equus alatus, magno impetu per aëra volans, vngulâ pedis posterioris, fontem in Parnasso monte eliciens.



*Lemma.* Fons hic delabitur alto.


*PRæstans vis animi tui,*
*Quæ mentis speculo, tota* KVREŁKOWIC
*In te limpida cernitur,*
*Crystallum Tibi fert, perspicuis aquæ*
*Dulcis, fontibus æmulam.*
*Augustum decus hoc, intulit ædibus*
*Arcanis Capitolij,*
*Princeps Romulei gloria sanguinis.*
*Sic & Pegasus vngulâ,*
*Fontes Pierios dùm cauat, alueis*
*Fundit dulcè ruentibus,*
*Doctæ perspicuam mentis imaginem.*
*Ex vtroque tibi decus,*
*Illimisq; probi gratia pectoris*
*Præstò est. eloquij quoq;*
*Fons dulcis, placidus, sacraq; defluens*
*In præconia* CANTII;
*Qui vitæ speculum, qui Tibi fons erit*
*Illimis Sapientiæ,*
*Vt clarum faciat per Cathedras virum.*

Princeps

## XXIII. V.D. ALBERTO OCHOWSKI.

*Heliotropium gemma, quæ nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, dicta hoc nomine, quod speculi modo solem representet.*

*Symbolum.* Iris, siue arcus cælestis in nubibus à sole efformatus.



*Lemma.* Quod sequor, exprimo.

PRinceps ocellus, gemmaq; syderum,
Ad summa vultu quod trahit aureo
Monile; cælestesq;. format
Ad numeros, liquidosq;. passus;
Hoc ad coronæ spectat opus tuæ,
Munusq; OCHOWSKI, laurigerum Tibi
Consignat. in Te quippè clarum
Ingenij speculum nitentis,
Ad eruditæ fulgura lampadis
Relucet. ac vt multicolor suo
Thaumantias, cælestis arcûs
Pingit opus, variatq; flexu
A sole ducto. sic animi tui
Recepit in se limpida claritas;
Cognata quod virtus, domique
Quod speculum Tibi dulce format.
Hoc elegantis dotibus ingenî,
Exemplar in Te dum facilè exprimes;
Consurget ad splendoris augem,
Gemma tuæ pretiosa laudis.

## XXIIII. V. D. CASIMIRO BIELECKI.

*Amphitane Indiæ gemma, auro similis; trahere aurum, vt magnes ferrum obseruata.*

*Symbolum.* Duæ columnæ Herculis, ex quibus aurea catena, in cuius medio cor humanum defixum est.




*Lemma.* Hoc suadæ victricis, opus.

*IMperium suadæ, quæ non experta potestas,*
*Herculeis renuit, cor submisisse catenis?*
*Omne triumphatum pectus concessit in vnam*
*Eloquij palmam. solidis firmata columnis*
*Stat moles, auroq́; micat, quo vincula suadæ*
*Condidit inuictum robur, cordisq́; monile*
*Appendit, tanti quo constet fama trophæi.*
*Hac cum mole Tibi, pulcherrima dona* BIELECKI
*Accedent, gemmæ fului pretiosa Metalli*
*Pondera, naturæ rarâ virtute trahentis.*
*Omnia selectis hæc in te dotibus apta,*
*Felicem mentis genium, suadæq́; loquuntur*
*Aurea vincla tuæ. solidis hæc nixa columnis,*
*Non tumet ex vano, nec sensus iactat egentes,*
*Atq́; inopes animi; loquitur sed pondera rerum.*
*Hæc trahet auratis cultissima pectora vinclis,*
*Quo magis assurget, quo sensibus altior ibit.*
*Nec minor in cathedris Stoæ te fama sequetur,*
*Ingenij penetrantis acumine; quo tibi promptum*
*Omnia gemmiferis connectet vota catenis.*

## XXV. V. D. MICHAELI BOCHENSKI.

***Chrysoelectrum inter lapides pretiosos, aureo colore nitens, ignibus celerrimè ardescens.***

*Symbolum.* Lerna Draconis specie cum multis capitibus, contra quā ardentem facem, & gladium, manus armata distringit.




*Lemma.* Et igni, & gladio tollit.

H Multo-

MVltorum capitum lerna repullulans,
Alcidæ manibus dum cadit; igneas
Cum Mucrone faces exacuit. truci
Monſtro non aliter licet
Occurriſſe; redit dum toties graui
Succreſcitq; malo. flammeus hoc agit
Ex voto gladius; quod mora lenibus
Nunquam conficeret modis.
Portentum citiùs tollere multiceps
In regnis etiam ſæpiùs expedit;
Ne robuſta dein bellua, publicas
Vires exſuperet malo.
BOCHENSKI, ſtimulis egerat hoc Tuis
Felix eloquij gratia; quæ faces
Admouit celeres præcipiti malo,
Ne res maxima concidat.
Ardens ergo Tibi gemma, ſed optimæ
Menti concolor eſt, plenaq; gratiæ;
Tu infenſus vitijs, conſpicuum feres
Virtutis decus aureæ.

## XXVI. V.D. FRANCISCO MŁYNIARSKI. Cant:

*Pontica gemma ſtellata, lampades ſyderum aureas imitatur.*



*Symbolum.* Nauis in mari velis expanſis properè nauigans, cui auſpicatum Cynoſuræ ſydus prælucet.

*Lemma.* Cynoſurâ perge fauenti.

*PVblica res iactata malis graue dum ſubit periclum;*
*Interq; ſæuas nauigans charybdes*
*Fluctuat, Odryſijs nunc motibus, inde per rapinas*
*Triſtes Gelonum, mergitur profundo;*
*Delphica conſilijs oracula pandit, & ſalutis*
*Momenta librans publicæ, laborat.*
*Spes bona,* MŁYNIARSKI, *per Te data. fine deſtinato*
*Cæptis amica gaudet in corona.*
*Oris ſuada tui cultiſſima, plena gratiarum,*
*Probiq; virtus pectoris modeſta;*
*Hæc Cynoſura fuit clariſſima, quæ bonas Polonis*
*Spes ominata eſt exitu fauenti.*

*Stellatis radijs gemmam Tibi, Ponticam dicare*
*Placet proinde; ſyderum coruſcis*
*Ignibus vt pulchrum iungat decus; & coronet in Te*
*Dotes beatas ingenî elegantis.*
*Sit Cynoſura Tibi, ſit maxima gemma, Diuus ipſe*
*Tuæ Patriæ* CANTIVS *corona.*
*Sydere tam fauſto, virtus Tua, menſq; literata,*
*Ad ſumma curſu proſpero feratur.*

## XXVII. V. D. LVCÆ ZELENSKI.

### *Thorax Iulii Cæſaris, ex Britannicis Margaritis factus, Romaq́; Diuorum honori dedicatus.*

*Symbolum.* Ex Gentilitio eius ſtemmate vitulus, ſupra quem duæ coronæ, vna aurea altera ex lauru.



*Lemma.* Virtus, & doctrina coronat.

SAnguinis pulchrum decus, ad coronam
Nobilem claros Tibi fecit ortus;
Hinc vt ad Muſas, generoſa ferres
Corda ZELENSKI.

Stirpis antiquæ vitulus, Polonas
Tot Domûs ornat, meriti laboris
Stemma laudatum; Tibi quod vetuſto
Sanguine venit.

Sed coronari minùs æſtimaſti
Laude maiorum; niſi laude parta
De Tuis virtus meritis, togatos
Addat honores.

Cæſaris thorax, graue Margaritis,
Pondus auguſtum meruit Britannis
Mille ſed caſus tulit, expedita
Prælia mille.

Gemmeus thorax ſequitur labores
Serios; per quos tua clara virtus,
Oſque facundum, geminæ meretur
Serta coronæ.

XXVIII.

## XXIX. V. D. ALBERTO BRATVSZOWSKI. Czę:

*Iaspis gemma purpuræ, rosæq; colorem, Smaragdino virori intermiscens.*



*Symbolum.* Duo fasciculi, vnus rosarum, alter aristarum, supra quos corona ex lauru.

*Lemma.* Et flos, & fructus honoris.

IAspis purpureas eiaculans faces,
Consignata tuis gemma monilibus
Pulchro Te, BRATVSZOWSKI,
Ornat fulgure gratiæ.
Hoc insigne decus, flos animi tui,
Et virtus meruit plena modestiæ;
Vernantisque iuuentæ
Felix ingenij vigor.
Sed non sola tibi florida munera
In censum veniunt; fasciculo rosæ,
Altæ plenus aristis
Fructu iungitur vbere.
Ætas quæ tenero flore viret Tibi,
Nunc ornata rosis; mox dabit auream
Messem, donaque cultæ
Selectissima copiæ.
Hæc Te spes animet, cùm sapientiæ
Ad fontem positus, lumine proximo
Maturescere possis,
Vt flos indolis optimæ.

## XXX. V. D. ALBERTO WOLSKI.

*Prasius lapis pretiosus, inter virorem sanguineis punctis distinctus.*



*Symbolum.* Agnus candidus, qui pede anteriori librum clausum, & supra librum lauream coronam tenet.

*Lemma.* Mansuetiora studia coronat.

*PVbis sarmaticæ dicata Marti*
*Quando pectora, mitiore primum*
*Formari studio, Tui diserta*
*WOLSKI, censuit eloquî facultas;*
*Ad mores Patrios, decusq; Regni,*
*Magnis vsibus erudita corda,*
*Aulæ Principis intulit theatro.*
*Nempè vt mitior est Tibi togatæ*
*Sensus Palladis, & quies amica*
*Pacatis studijs; procul cruento*
*Martis classico, & horridis periclis;*
*Sic mansueta placent, & apta primo*
*Candori Lechiæ; quod innocentis*
*Agni symbola candido loquuntur*
*Phœbi munere. Te modesta virtus*
*Dono sic niueo coronat, inter*
*Gazæ gemmiferæ virorem amænum.*
*Hæc est laurea maximi viroris,*
*Masuetum, sapiens, probumq; pectus,*
*Ex quo gloria sat Tibi virebit.*

## XXXI. V. D. IOANNI STEFANSKI.

*Cardisce gemma, in qua pulcherrimo naturæ opere, effigies cordis eminet.*



***Symbolum.*** Leo vno pede tenens gladium, altera cor humanum.

***Lemma.*** Magnanimi pro Patria sensus.

COrdata virtus quæ leonum robora,
Pectusq; magnis ausibus
Calens, in hostes armat; vt victorijs
Opus coronet arduum;
Suadæ STEFANSKI, calcar addidit Tuæ,
Et excitatos spiritus;
Vt Marte sæuo fulminantis Bosphori,
Nullis periclis cederet.
Ardens honestis pectus istud ignibus
Bonam Paternis indolem
Vt debet exemplis; togatæ sic Palladis
Gemmam meretur cordium.
Habes quod inte fidus exprimat labor,
Quod mens sequatur æmula,

Clari Parentis nomen, & vestigium
Insigne, quod præit Tibi.
Calescat in Te litetatæ gloriæ
Amot perennis, seriùs;
Sic Patris in Te, sic amans scientiæ
Cor eminebit gemmeum.

## XXXII. V. D. THOMÆ MARCZEWSKI.

*Leocupatelos gemma, lacteum candorem niuis aureo splendididißimo fulgorì in ermiscens.*

**Symbolum.** Columna marmorea, frondibus laureis coronata, super quam annulus cum gemma, in fastigo positus eminet, laureis frondibus circum eum virentibus.



**Lemma.** Signat munera, & coronat.

*PAlladis gazas, Tibi destinatâ*
*Claudimus gemma niuei decoris;*
*Candor ex auro rutilans, togata*
*Munera signat.*

*Hæc coronatam decuère metam,*
*Dona sinceri, niueiq; cordis;*
*Sola quæ possunt, decus eminentis*
*Ferre columnæ.*

*Nulla* M*ARCZEWSKI*, *potior corona est*
*Quam bonæ mentis. sapit ille multùm,*
*Cui sapit vitæ probitas, togæq;*
*Gloria doctæ.*

*Omnibus gazis Arabum, erudita*
*Carior virtus; Tibi quæ coronam*
*Annulo signat, meritosq; Phœbi*
*Claudit honores.*

*Meta felicis Tibi sit columnæ;*
*Gemmei tecum, niueiq; soles,*
*Tot coronatis pretiosa reddant*
*Sæcula gemmis.*

# XXXII. V.D. STANISLAO KRZESŁAWSKI.

*Symbolum.* Palma oneri non cedens.



*Lemma.* Semper in ardua.

PAlma triumphalis, quæ ſemper in ardua tendit.
Veræ doctrinæ Symbola certa refert.
Hinc Tibi KRZESŁAWSKI pulcherrima gloria ſurgit.
Dùm Tibi palma virens parta labore datur.
Præſtans es animo: quia fortis ad ardua virtus
Ad ſtudia ingenium concitat ipſa Tuum
Dogmata Ariſtotelis, grauitas, facundia multùm
Parnaſſiq; chorus, complacuêre Tibi.
Jam pietas, candor niueæ frontiſq; ſerenum
Naturæ excellens dexteritaſque Tuæ
Iam Te condecorant quam fulgens gemma monile
Annulus aut Cyano Chryſolitoq; nitet.
Dotibus his ergò præſtans, i ſydere fauſto,
Quo Te Lemma Tuum, quo bona fata vocant.

# V.D. BARTHOLOMÆO KRAVZOWIC.

## Secundæ Laureæ Candidato,

## *AVTHORI OPERIS,*

*Concham opum naturæ admirabili copia affluentem, quam Americus Veſpucius in ſua nauigatione, centum, & triginta gemmas continentem vidit.*

Symbo-

*Symbolum.* Cithara Apollinis, super quam corona ex geminis, & super illam stella rutilans.



*Lemma.* Gemmæ Tua barbita clara coronant.

# IOANNES KACZOROWICZ.

Eiusdem laureæ Candidatus

*in signum mutui affectûs, & gratulatorij applausus Offert D. C. Cq.*

*GAzas ab Indis, grandeq; Persidos*
*Auro gementis pondus, ab vltimo*
*Gemmasq; Ponto, diues in Te*
*Ingenij reserasse vena.*

*Præclare vates dum voluit; penu*
*Exhausit omne, & purpureos sinus;*
*Lydosq; vicit, gemmeique*
*Depositum tulit omne Gangis*

*Nostros in vsus. quanta monilibus*
*In nos togatis copia depluit?*
*Quæ grando gemmarum, corones*
*Dulcè ruit super eruditas!*

*Mentis fodinam nouimus aureæ,*
*Gemmisq; pectus nobile; quod Tibi*
*Latex inexhaustus, penuq;*
*Ingenij dedit affluentis.*

*Ergòne gemmis omnibus, auree*
*Vates carebis? dextera Vespuci*
*Ab ore longinquo, stupendam*
*Prodigio, pretioque concham*

*Refundat in Te dotibus hæc Tuis.*
*Respondet, in quêis clauditur omnium*
*Fodina diues gratiarum,*
*Eloquio, Cytharaque felix.*

*Testudo vatem poscit eburnea;*
*Quam mille gazis, milleq; gratijs*
*Circumdet ex gemmis corona,*
*Auricomum rutiletq; sidus;*

*Quo literate mens Tua clareat*
*Fulgore lucis. gemmea sit Tibi*
*Tuoque KRAVZOWIC, corona*
*Ingenio; quod amica nobis*

*Gazæ eruditæ munera protulit.*
*Tu sidus olim, Tu cytharæ decus*
*Clarebis; & totas honorum*
*Vna feret Tibi concha gemmas.*



Sub Felicissimis Auspicijs,

*Magnifici, Perillustris, & Adm. R. Domini,*

# D. M. ALBERTI ŁANCVCKI,

I. V. Doctoris, & Professoris, Ecclesiæ Cathedralis Crac: Canonici Elect: Collegiatarum Pilecē: Archidiaconi, SS. Omniū Cācellarij, S R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracouiensis, Generalis & Vigilantissimi,

RECTORIS.